

Hommage et remerciements
de *J. de Biełkowski*

DE SPECULIS ETRUSCIS ET CISTA
IN MUSEO PRINCIPUM CZARTORYSKI CRACOVIAE ASSERVATIS

1

DE SPECULIS ETRUSCIS ET CISTA IN MUSEO
PRINCIPUM CZARTORYSKI CRACOVIAE
ASSERVATIS

SCRIPSIT

PETRUS BIENKOWSKI

CRACOVIAE
SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM
APUD BIBLIOPOLAM SOCIETATIS LIBRARIAE POLONICAE

1912

CRACOVIAE, TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE
PROVISORE JOSEPHO FILIPOWSKI.

Antiquae artis monumenta, quae aliquot ante annos in oppido Palestrina effodi coepta erant, nec non ea, quae supellectilis Praenestinae nomine appellata olim in principum Barberini asservabantur bibliotheca, nunc musei nationalis Romani «di Villa Giulia» lumina efficiunt, denuo viris doctis antiquos in mentem revocaverunt Etruscos. Atque iterum exorta est quaestio de artis etruscae propria vi ac natura, de etruscorum artificum exemplaribus, tum de ratione, qua exemplarium illorum indoles ab eis intellecta esset atque immutata. Itaque ex re me acturum esse puto, si viris doctis aliquot huius artis proponam monumenta genuina et suspecta, quae Cracoviae exstant, praemissis paucis de speculo graeco, quod in eodem museo principum Czartoryski asservatur.

1 (tabl. I).

Speculorum graecorum, quae pyxidibus caelatis conservari solebant, iam pridem duo exempla a nobis adumbrata ac delineata sunt¹⁾. Nunc tertium (inv. nr. 376) adi-

¹ Conf. Stromata in honorem Casimiri Morawski (Cracoviae 1908) p. 60 sq. Occasione utor oblata, ut moneam me ipsum nunc de illis pyxidibus gravissimas concepisse suspensiones (cf. ea, quae adnotavit Salomon Reinach, in Rev. archéol. 1908 p. 446). Nempe anaglyphum in tab. III illius libri delineatum aeruginem exhibet variis punctis perspersam, quam iam aliquot in adulterinis vidi speculis. Pan deinde cornibus plane caret, id quod interdum in eis artis monumentis deprehendere licet, quae Romanorum aut Diadochorum aetate sunt confecta, sed perfectae artis aetate numquam vi-

cere possumus, cuius ectypon in tabula adnexa exaratum est (tab. I.).

disse contigit. Lasciva denique totius argumenti ratio adulterinorum propria est symplegmatum, quae e terra cocta aut ex aere sunt facta. Atque si coniecimus hoc anaglyphum a falsario nescio quo ad ibidem commemoratum Londinense exemplar esse confectum, errata illa ipsa ex se explicabuntur.

Eadem etsi non tam praefracte asseverari possunt de anaglypho in tab. IV delineato. Hoc quoque symplegma languidum et molle quiddam spirat; praeterea vestium habitus nequaquam veros illos et leves ostendit sinus. Hac denique aetate, posterius saeculi IV dico dimidium, cui hoc speculum assignavi, Amor nondum hoc effingi solet modo, ut tam parvi pueruli — Itali „putto“ dicunt — induat formam. Atque vereor, ne artiore quodam vinculo cohaereat hoc anaglyphum cum Castellanii speculo, ita a R. Schoeneo (Bull. d. Jst. 1866, p. 215, n. 1) descripto: „Coperchio di specchio, del diametro di m. 0'15, con figure risbalzate, delle quali a cagione del tartaro non si riconoscono tutti i dettagli, restandone però chiari i tratti principali. A destra veggiamo una donna assisa a quel che pare sopra una rupe; essa appoggiandosi sulla sinistra sostiene coll' altra mano in sul ginocchio destro un fanciullo ignudo, che sull'omero sembra portare cosa simile ad un piccolo canestro. Oltre il panno che le copre le gambe, è munita di una collana a guisa d'una torques e d'un braccialetto alla giuntura della mano manca. Dirimpetto voltato cioè a destra, sta ritto in piedi un giovane ignudo ornato il capo d'una tenia, ed appoggiandosi sopra una stele, della quale pende un panno e sulla cui base evvi in rilievo un caduceo. Dietro il giovane... sorge un' erma barbato veduto di prospetto... Un uccello infine... sta volando fra il giovane e la donna. In quanto alla spiegazione di questo rilievo non vedo cosa possa opporsi al ravvisarvi Mercurio ed una di quelle ninfe, cui venne affidata la cura di Bacco fanciullo“.

Cum tamen non constet neque ubi hoc artis opus nunc inveniatur, neque an omnino genuinum fuerit, enucleari non potest ratio, quae inter illud et Cracoviense speculum intercesserit. Hoc tantum pro explorato haberi potest, duas priores personas cum Cracoviensis anaglyphi figuris accurate congruere, nisi quod in Castellanii speculo puerulus ille alatus non erat et femina ad sinistram partem luit conversa, non ut hic est, ad dexteram.

Altera ex parte notandum est, inter eos, qui ante hos viginti annos Musei Cracoviensis curam sustinerent, constare Vladislaum principem Czartoryski in acquirendis illis pyxidibus doctissimi viri De Witte peritia ac iudicio usum esse.

Speculum ex aere est factum et prorsus politum. Formam prae se fert rotundam. Orbis dimetiens efficit 0'135^m, totum longum est 0'3^m. Manubrium ex alia aeris lamina confectum, feminam repraesentat, quae in basi, duplici astragalo ornata, constitit. Femina induta est peplo dorico apotygmate insigni, dextra manu prolata fructum tenet, sinistra vestis laciniam tollit. Capilli in frontis media parte divisi et fascia redimiti sunt; pedibus eius inducti sunt molles calcei. Speculi firmamentum lamella efficit e feminae capite exstans atque alarum formam exhibens, quibus incisae sunt lineae, quae dicuntur volutatae. In hac lamella, eodem intervallo a capite distantia vestigia videre licet quarundam rerum, quae arte fuerint applicatae. Conici potest hic parvulos Amores fuisse affixos, ad Venerem, quae sit fortasse femina fructum tenens, volantes, perinde atque in quibusdam Britannici Musei speculis (Catal. of the bronzes nr. 241, 233, tab. IV.).

Inter omnes constat plurima similia Corinthi praecipue atque in proxima regione inventa esse specula, quae nunc omnes fere publicos et privatos ornet monumentorum thesauros. Quae autem alio, e. g. Athenis sunt inventa, maxima cum probabilitate Corintho translata esse videntur¹⁾. E quo conicitur statunculis, quorum formas speculorum manubria exhibent, non nisi artis quendam typum in antiqua Corinthia-Sicyonia, quae vulgo vocatur, schola excultum repraesentari. Quae coniectura Paulo Arndt (Collection Jakobsen, tab. 31—32, p. 50 sq.) est suffragata ad plurium capitum et truncorum, quae, e marmore facta, adhuc non determinata erant, effingendi rationem constituendam atque antiquae Corinthiae-Sicyoniae scholae ima-

¹⁾ Conf. De Ridder, Cat. d. bronzes de la Société archéol. d'Athènes p. 36 sq., ubi priora virorum doctorum laudantur opera; Walters, Cat. of the bronzes of the Brit. Mus. nr. 198—246.

ginem adumbrandam. Quo viri docti studio factum est, ut Canachus fraterque eius Aristocles, quorum nomina tantum adhuc nota erant, satis clare huius scholae magistri, qui sexti et quinti saeculi confinio floruisent, in lucem processerint.

Statunculum Cracoviense, accuratissime cum aliis Corinthiis speculis congruens (e. g. cum eo, quod Lutetiae Parisiorum asservatur)¹⁾, plane nobis hanc ineuntis quinti saeculi scholam ante oculos ponit atque insuper hanc ob rem magni est momenti, quod eam consuetudinem, ut vestis aliquantulum attolleretur, in statu is occurrentem, non solum ad tenues chitones ionicos, ut Arndtius (l. c. p. 12 ad tab. VII—VIII) putat, sed etiam ad lanea dorica pepla esse adhibitam demonstrat.

2 (tab. II.)

Inter specula etrusca, quae in museo inveniuntur²⁾, oculis omnium offert se praecipue hoc (inv. nr. 381), quod iam in opere: Klügmann-Körte, Etrusk. Spiegel, tab. 62



Fig. 1.

publici iuris factum, in nostra tabula II denuo exaratum est. Manubrium ex aere ductum, aliquanto breviori manubrio est infixum, quod ex osse leviter ad tornum est

¹⁾ Conf. Babelon-Blanchet, Cat. d. bronzes de la Bibliothèque nat. nr. 200—201.

²⁾ Conf. Stromata p. 89, tab. VIII.

fabricatum, atque in arietis capitulum, etruscam prorsus formam exhibens exit ¹⁾. E quo colligitur totum manubrium esse genuinum atque antiquitus cum speculo cohaerere, — id quod rarissimum est ²⁾. Speculi discus rotundus est et planus atque ab ea parte, ubi ipsum erat speculum, astragalo cinctus. In manubrii firmamento ornamentum extat incisum, quod in adiecta imagine (fig. 2) videre potes. Totum speculum longum est 0.34^m, disci dimetiens efficit 0.175^m. Secundum Koerteum inventum erat iuxta oppidum Corneto, anno autem 1881 Pasinatii erat, monumentorum antiquorum coemptoris Romani.

Omnes figurae, quae sunt tres, titulis Etruscis sunt designatae. In media parte Minerva (Menrva) est efficta, peplo succincto vestita. Peplum, apodygmate conspicuum, breves manicas exhibet, quae dimidiata tantum brachia occupant atque binis fibulis sunt consertae. Deae capiti imposita est galea; conspiciuntur praeterea inaures, monile, calcei. Sinistra manu in scuto nititur, dextra autem hastam tenet. Ante eam (a dextra) Hercules



Fig. 2. (Hercle) constitit leonis pelle amictus, quae in pectore conserta alte defluit, clavam autem iuxta eum ad aliquam rem applicatam videmus. Sinistram manum deae dextro humero imposuit, perinde atque Apollo (Apulu), qui a sinistra deae parte astat. Apollo nudus est, nam e sinistro tantum eius brachio chlamys dependet, etiam ad dextrum cubitum conspicua. Sinistra manu lauri frondem tenet, capiti nescio qui trochus est impositus. Spatium, quod inter eius et Minervae caput restat, stella occupat, e quinque radiis composita. Item decorandi tantum con-

¹⁾ Exempli gratia aries dilineatus in opere, quod inscribitur: Arndt, Glyptothèque Ny-Karlsberg. pl. 174, 1.

²⁾ Conf. speculum Monacense delineatum in: Archäologischer Anzeiger 1910, p. 52, fig. 6.

silio incisa sunt a sinistra Apollinis parte acanthi folia et florum calyces. In ea parte, quae in manubrium exit, magna efficta est avis alas pansas tenens, quae in loti artificiose composito calyce consedit.

Quae scaena admodum affabre efficta colloquium tantum trium deorum — Itali »sacra conversazione« dicunt — repraesentat, arte autem sua primum quinti saeculi dimidium indicat. Simillimum est speculum, quod apud Gerhardum (Etrusk. Spiegel tab. XCV) est delineatum. Baccham repraesentat, ante feminam, quae sedens est expressa, ad tibiae cantum saltantem. Scaenam nimirum habes prorsus diversam, ea tamen, quae prima sub oculos cadunt, scilicet avis, acanthi folia, manubrii firmamentum, speculi ora, admodum sunt similia et fortasse ab eodem artifice, qui nostrum composuit speculum, incisa. Non multum differt etiam aliud quoddam speculum (Gerhard l. c. tab. CCCXLVIII), tantum quod liberiore iam ostendit effingendi modum.

3 (tab. III.)

Discus speculi (inv. nr. 1324 signati) ex aere inaurato ductus. totus planus est, ora sola aliquantum prominente. Manubrium directum, non ornatum, in capitulum bestiae cuiusdam exit. Totum speculum 0·29^m est longum, orbis autem per medium 0·14^m occupat. Contectum aerugine, partim iam ab eadem consumptum, ibi praesertim, ubi imagines sunt incisae, nonnullas exhibet lacunas, massa quadam aerucam imitanti expletas. Quam ob rem nonnulla, quae efficta sunt, nunc quidem intellegi non possunt, eo magis, quod lineamenta ipsa nimis strictim sunt incisa ac mendorum et erratorum plena.

In aversa speculi parte (fig. 3) quattuor conspiciuntur personae, limbo cinctae, qui vitis fronde, foliis atque uvis

gravi, est expletus ¹⁾. A sinistra parte vir barbatus in basi quadam consedit, quae columnae striatae est simillima ²⁾. Phrygius pileus, rigida crista instructus atque aliquot dependentes lacinias habens, deinde sceptrum tortuosis li-



Fig. 3.

neis ornatum, amictus pretiosus e chitone ac pallio, quod inferiorem corporis involvit partem, constans, Orientis ali-

¹⁾ Similis limbus invenitur apud Gerhardum CCVII, 4; Klügmann-Körte tab. CXXVII. — Conf. Gerhardum tab. CCCXXVII.

²⁾ Similis sedes extat in libro Gerhardi tab. CCLXXVI, 1.

quem indicant principem. Duae directae, aequae distantes lineae, quae sunt in eius tergo, plane intellegi nequeunt et nescio, an pallii secundum tergum pergentis oram significant. Dextrum brachium, nunc totum deletum, prius certe in cubito flexum erat. Sinistrae manus, quae demissa erat atque sceptrum genui applicatum sustinebat, inferior tantum ut videtur pars restat. In tergo principis manifesto apparent dextrae manus digiti, qui non nisi Minervae esse possunt, quae iuxta constitit, induta peplo, e quo dexter pes eminent, aegide praeterea, monili atque galea conspicua. Corporis eius onus sinistro, ut videtur, pede atque dextra manu, principis tergo imposita, sustinetur. Quo factum est, ut pes dexter aliquantum sit remotus, sinistrum latus autem mirum in modum appareat inflexum. Sinistra praeterea Minervae dinosci potest manus, quae hasta innititur. Similiter atque princeps, etiam dea caput in dextram partem convertit, ubi duas videmus personas in adversam partem spectantes. Quarum prima, femina quaedam, aliquantulum inclinata, baculo aut sceptro suffulcitur, cuius inferior pars una cum sinistro pede Minervae figura operiuntur. Feminae huius pectus est nudum, capilli longi in collum defluunt, inferior autem corporis pars ac tergum pallio amicta sunt. Altera persona, quae extrema ad dextram partem est efficta, vir est, qui item dextra manu hasta innisus consedit, sinistram autem in modum persuadentis hominis composuit. Capiti eius induta est galea, Phrygii pilei formam exhibens, crura autem pallio sunt involuta. Limbus, duabus semicirculatis laciniis distinctus, subter sinistrum cubitum apparens, iuvenem etiam lorica armatum fuisse indicat. Inter iuvenis ac feminae caput res quaedam extat, quae forma sua proxime ad tripertitam floris alicuius gemmam accedit et, ut videtur, vacui spatii tantum explendi gratia est addita, perinde atque apud Gerhardum (tab. CXCIX) videmus.

Argumentum igitur hoc videtur esse: Ante grandio-rem natu Orientis regem, in cuius humero Minerva manum posuit, ut ei comem suum probaret animum, aut fortasse aliquid imperaret, femina quaedam, iam matura aetate, supplex constitit. Iuxta eam consedit iuvenis armatus, sinistra manu quasi aliquem alloqueretur gestum agens. Quae rerum condicio aptissime respondeat momento, quo Paris, Helena Lacedaemone abducta, domum redeat atque ad Priamum uxorem suam perducatur. Itaque hic fuerit similis scaena repraesentata atque in Brygi, quod dicitur, vase a R. Engelmanno (Roscher, Mytholog. Lexikon p. 1967—8) eundem in modum explicato, hoc tantum obvio discrimine, ut ibi pro largiore, quod explendum erat, spatio praeter bas personas etiam Hecuba atque Paridis germani sint expressi; hic autem rotunda speculi forma coactus sit opifex scaenam ad quattuor redigere personas extremasque sedentes effingere figuras. Quae quamquam ita sunt, neque Paris sedens offendit, cum regis sit filius atque in domo sua degat, neque Minerva, quae etsi in bello Troiano Graecis favebat, tamen in artis imprimis Atticae monumentis saepe Troiae patronam gerit. In vasis, quae Troiam captam repraesentant, nec non in Parthenonis metopa Helena ipsa cum mulieribus Troianis salutem a Palladio petit (conf. Roberti librum: Bild und Lied p. 72, 79). Et certe non nisi Atticorum auctoritate est factum, ut unicum, quod in Iliade et Odyssea commemoretur delubrum, Minervae sit templum Troianum (Il. VI 88) et Palladio demum rapti Graeci Troiam capere potuerint. Attamen non est quod neget etiam aliam hic admitti posse interpretationem, praesertim si Phrygium pileum non tanto concesserimus esse momento, cum eiusmodi capitis tegumenta et apud Etruscos fuerint adamata et e theatro graeco, ubi simili vestitu

reges ornari consueverant, in vasa recepta esse probabiliter coniecero¹⁾.

Utcunque res se habet, non est praetereundum simile speculum a Helbigio²⁾ his verbis descriptum esse: I graffiti abbastanza accurati rappresentano a destra di chi guarda un uomo barbato assiso (verso sinistra), il quale nella parte inferiore coperto del mantello, tiene colla d. una spada nel fodero all'altezza della coscia. Gli si scorge dirimpetto un efebo ignudo (verso d.) in piedi, nascosto in gran parte sotto l'ossido. Due altre figure in piedi si vedono tra le due orora descritte, cioè avanti l'uomo assiso un delicato giovane ignudo di faccia, che tiene con ambedue le mani un'asta, e vicino all'efebo una donna, vestita di tunica cinta (verso s.), la quale discorrendo coll'efebo gli mette la mano d. sulla spalla«. — Illa et haec scaena eo maxime inter se videntur differre, quod primum barbatus vir pileo careat, deinde Minervae loco nudus sit effictus iuuenis, Helena denique, quae fertur, tota vestita appareat.

Ceterum evenire poterat, ut hae figurae decorandi tantum consilio sine ulla ratione mythologica effingerentur. Eiusmodi enim quattuor figurarum scaenae saepissime in speculis inveniuntur³⁾. Similis Priami imago in quodam speculo, apud Klugmannum-Koerteum (l. c. V, tab. CXVIII) delineato, occurrit, nec non aliae similes personae interdum apparent, velut vir imberbis, Orientis vestibus indutus, ad sinistram sedens, apud Gerhardum (tab. CLXXIV)⁴⁾;

¹⁾ Videas Phineum in vase a Furtwängler-Reichholdo, Griechische Vasen, tab. XLI delineato.

²⁾ in Bull. d. Inst. 1882 p. 134; cf. etiam Klügmann-Körte vol. V (text.) p. 109, nr. 876.

³⁾ E. g. Gerhard, tab. CCLV B. C; CCLVII; CCLXIX—CCLXXX; CCCXLVI; CCCLXIX—CCCLXXII; cf. Klügmann-Körte V (text.), p. 105 »Gruppe III«.

⁴⁾ Fortasse hic Meleager et Atalanta, ante Toxum stantes sunt efficti.

Helena, quae dicitur, eodem statu repraesentata, sed iuvenis forma induta, item apud Gerhardum (tab. CCLXXV A, 2) exstat; Minerva autem, secundo a sinistra parte loco expressa, tam saepe in speculis, quae Castores et Helenam aut Ledam demonstrant, deprehenditur, ut enumerare singula exempla supervacaneum sit. Idem de Paride, quem modo commemoravimus, dici potest.

4 (tab. IV.)

Speculum (inv. nr. 1325) est ex una aeris lamina una cum manubrio conflatum, quod in adversam partem inflexum in bestiae cuiusdam exit capitulum. Adversa pars eius simili est conspicua ornamento, atque id, quod apud Gerhardium in tab. XXIV, nr. 19 effictum videre licet. Ipse speculi discus aliquantum est excavatus atque satis latam ostendit oram, quae in adversa parte (hic scilicet, ubi ipsum est speculum) astragalo est ornata. Totum speculum una cum manubrio longum est 0'265^m, solius orbis dimetiens 0'128^m occupat. Speculum clari aeris genuinum prae se fert colorem, una parte autem aerugine est consumptum.

Scaena (fig. 4), quae in medio spatio est repraesentata, sermo duobus nodis vel lemniscis distincto est cincta. E quattuor constat personis, quae hoc modo inter se sunt conversae, ut ab exteriori parte extremi sint efficti viri, in media autem parte feminae sint collocatae. Ille, qui a sinistra apparet, iuvenis nudus — nam e dextro tantum brachio palliolum dependet — hoc modo inclinatus constitit, ut sinistro cubito columna innitatur, corporis onere a dextro pede sustento. Ille autem, qui a dextra astat, dextrum cubitum atque sinistram manum, e qua palliolum defluit, dextro imposuit genui, quod petra innititur. Ambo iuvenes pedibus altos habent inductos calceos, corrigiis

clausos, capitibus autem eorum impositi sunt Phrygii pilei admodum depressi; ille qui a dextra est expressus, armatus est gladio, cuius balteus per pectus ductus apparet. Ille, qui a sinistra est effictus, cum femina colloquitur, longa



Fig. 4.

veste atque capitis tegimine, quod galeae est simillimum, induta. Altera autem femina nuda est, nam e dextro tantum brachio ad coxam applicato vestis dependet, quae crura eius item altis calceis induta ambit. Collum eius monili est ornatum, e capite autem largi defluunt capilli.

Haec scaena una ex iis est, quae creberrime in speculis occurrunt, atque a Gustavo Koerte collectae sunt et interpretatione instructae ¹⁾. Speculum, de quo agitur, simillimum est praecipue eius, quod ibidem in tab. LXXXV, 1 est expressum atque eorum, quae apud Gerhardum (l. c. I, tab. LIX, 1 (= CCLIX, 2), 2, 3; CCLXXV, 6; CCLXXVI, 3, 4; CCLXXVII, 7) sunt delineata. Unum est igitur ex iis, quae a Koerteo (l. c. p. 105) seriei secundae (»Gruppe II«) nomine nuncupata sunt. Itaque ex iis, quae ibi prolata sunt, argumentis apparet in hac scaena Castores cum Helena sorore et cum Minerva, heroum patrona, expressos esse. Quamquam haec vera sunt, dubium fere esse non potest, quin speculi artifex scaenae vim atque indolem non intellexerit eamque sine iudicio sit imitatus, ut vacuum spatium expleret. Quo factum est, ut nulla persona aperte peculiare praeseferat notas, neque omnino umquam cognosci posset, nisi alia praesto essent specula, in quibus personae titulos haberent adscriptos ²⁾.

Conici potest Cracoviense speculum idem esse, atque hoc, quod Koerteus mense Martio anni 1886 apud monumentorum antiquorum venditores Parisinos Rollinum et Feuarentium viderit, quod tamen extra omne dubium ponere non licet, cum illud speculum secundum Koerteum ipsum (l. c. p. 107) tertiae seriei, quae Castores sedentes exhibet, adnumerandum fuerit, hoc autem Castores innisos plane ostendat.

Si nunc tempus, quo speculum sit factum, definire placet, hoc est monendum speculum hoc, perinde ac tota series, cui est adnumeratum, Lysippeae artis manifestas praeseferre notas — et ideo non ante primum tertii a. Ch. n. saeculi dimidium videtur esse confectum. Ipsae imagi-

¹⁾ Cf. *Etrusk. Spiegel* V, tab. 83, 2—88, 1; p. 101—110.

²⁾ Vid. Klügmann-Körte, *Etrusk. Spiegel* V, Textband, p. 104.

nes admodum sunt strictim ac negligenter effictae, nonnullis locis autem rudem prorsus auctoris produnt imbecillitatem.

5 (tab. V).

Speculum (inv. nr. 1326) est rotundum, aliquantulum elatum, astragalo ornatum, atque ex una lamina una cum manubrio ductum. Manubrium in bestiae cuiusdam exit capitulum admodum deforme. Speculi dimetiens 0'116^m efficit, totum 0'24^m longum est. In medio spatio duo iuvenes, curtis et succinctis chitonibus et galeis induti, adversi astant, suis sentis innisi, quae post eos sunt collocata. Inter eorum capita quinque pilae extant, quae quincuncem efficiunt. Simillimum exemplar apud Gerhardium tab. XLV, 8 delineatum invenies ¹⁾. Ad eandem seriem pertinent praeterea haec specula ibidem efficta: nr. 2—6, 8—9; XLVII—XLVIII. In omnibus iuvenes manifestum habitum »Castorum exspectantium«, qui vulgo dicuntur, exhibent. Eis, quae inter Castorum figuras exprimi solent, symbolicum aliquid aut arcanum subesse viri docti putaverunt et pilis e. g. Castorum stellas repraesentari suspicabantur. At mihi quidem multo probabilius videtur eis vacuum tantum spatium expletum esse.

Ut e priore speculo cognoscitur, saepissime cum Castoribus Helena aut Leda et Minerva erant effictae. Eodem autem statu atque in Cracoviensi speculo, expressi sunt Castores cum his deabus in speculis, quae Koerteus (l. c. V. textus, p. 105) in seriem primam recepit ²⁾. Saepius evenit, ut spatio deficiente eae, quae in media parte efficiendae essent personae, omitterentur; sic in speculo quodam apud Klügmannum-Koerteum tab. LXXXI 1 delineato Minerva deest.

¹⁾ Cf. ibidem. nr. 2—5; 7, 9; tab. XLVI.

²⁾ Delin. apud Gerhardum, Etr. Spiegel tab. CCLXXVII nr. 2—6; CCLXXIII A. 2; CCLXXVIII 2—3.

Hic vero ambae feminae desiderantur. Haec est igitur scaena, quae ex ampliori simplicior est facta et neque ei neque quincunci arcessita quaedam et singularis significatio est inculcanda.

Quae omnia specula non ante tertium saeculum sunt facta. Non omni denique caret momento, quod Praenesti nuper inventum est speculum, Cracoviensis exemplaris simillimum. Delineatum est in *Notizie degli scavi* a. 1907, p. 481, fig. 22.

FALSA AUT SUSPECTA.

Cum omnino perdifficile sit de antiquae artis statuere monumentis, utrum genuina sint, an adulterina, tum, si de Etruscorum arte agitur, molestiae etiam cumulantur. Etsi enim Etruscorum ars — si universam spectes — Graecae tantum artis dura et rudis putari potest imitatio, tamen Etruscae artis monumenta secundum Graecorum regulas examinare minime licet. Itaque effingendi negligentia, deinde alia quaedam menda et errata, quae alioquin sane sufficerent ad operis Graecam originem denegandam, eadem ipsa minime sufficiunt, si de Etruscae artis aliquo opere questio est; nam Etruscorum artifices prae Graecis nequaquam firma illa effingendi et componendi exercebant facilitate, neque satis periti erant eius artis, qua efficitur, ut quaedam in opere eminere, quaedam recessisse credamus. Etiam ea ratio, qua aenea aut fictilia vasa conficiunt, nonnihil a Graecorum differt usu. Accedit quod Etruscorum opifices exemplaria Graeca, quae imitarentur, saepissime non intellegebant, cum plures eorum fabulas, aut vitae cotidianae ignorarent consuetudinem. Quo efficitur, ut eorum opera mendis et erroribus scateant et tamquam si adulterina sint Graeca, appareant.

Quae cum ita essent, recentioris aetatis falsarii, hac barbara fere Etruscae artis nota sagaciter observata, mirum quanto studio huius artis monumenta adulterare coeperunt. Atque annis praecipue 1860—1880 permulta prodierunt eiusmodi adulterina opera, consummata prorsus confecta sollertia ¹⁾. Ad quorum originem enucleandam plurium virorum doctorum opus erat industria, cum de permultis adhuc non liqueret.

Eiusmodi igitur nonnulla Etruscae artis adulterina opera in nostro principum Czartoryski Museo invenimus. Ipsum eorum argumentum facili eaque luculenta explicatur interpretatione, quo fit, ut ea atque illam praecipue cistam, quam posteriore loco huius capituli descripturi sumus, eximium quoddam artis et mythologiae Graecae specimen putaturi fuerimus, nisi indiligens effingendi ratio, inepta ornamenta, insolitus conficiendi modus plures nobis movissent suspiciones. Atque hic ea praecipue exponere in animo habeo, minime quidem spernenda, quae G. Koerteus et Aem. Reischius, qua sunt erga me comitate, liberalissime mecum communicaverunt. Itaque commodum duxi primum opus suspectum interpretari, tamquam si genuinum esset, deinde demum ea promere, quae repugnare videntur. Qua ratione adhibita efficietur, ut et ea, quae faveant, pariter atque ea, quae obstant, in censum veniant et si qui quaestionem denuo tractare volet, materiam totam hic congestam inveniat.

¹⁾ Sufficiet commemorare Britannici Musei cistam (Walters, *Catal. of the bronzes* nr. 741), in qua efficti sunt Aeneas et Turnus pacem facientes (vid. *imag. in Mon. d. Inst.* VIII, tab. 7—8), aut eam, quae triumphum in Monte Albano actum exhibet (ibidem vol X, tab. 29). Auctorum, qui de his cistis egerunt, nomina in libro sunt congesta, qui inscribitur: Pauly-Wissowa. *Realencyklop.* III, p. 2596—7 (A. Mau).

6 (fig. 5.)

Speculum (inv. nr. 769) ex aere et quidem ex una lamina una cum manubrio est ductum. Piri formam prae se fert et perinde ac manubrium totum planum est. Di-



Fig. 5.

metiens longior 0·155^m, brevior 0·145^m efficit, manubrium 0·15^m est longum.

Imaginem speculi disco incisam nihil interest describere, nam totum speculum, sine dubio est adulterinum, quod ego quidem et discipulus meus L. Chodaczek suspicabamur. Etenim in nimia laminae, e qua est factum,

offendebamur subtilitate, nam vix 0'002 m. capit; quo efficitur, ut figurarum et ornamenti lineamenta laminam, ut ita dicam, transfodiant ac speculi usum prorsus fuerint impeditura. Movebamur etiam manubri minime antiquo ornamento. Quam coniecturam, ut ad certum redigerem, litteris adii Etruscorum antiquitatis virum peritissimum, G. Koerteum Gottingensem dico, qui ut est eximia comitate, per epistulam ad me missam haec respondit: »Auf Grund der eingesandten Photographie kann ich, auch ohne das Original gesehen zu haben, mit aller Bestimmtheit erklären, dass der Spiegel gefälscht ist. Zu diesem Urteil würde allein die Tatsache ausreichen, dass ein Griff sich am Spiegel befindet; denn es gibt keine archaischen Spiegel mit Griff, sondern nur solche mit spitz auslaufendem Zapfen, der in einen Griff aus Knochen (oder Holz) gesteckt wurde. Zudem ist die Form des Griffs völlig unantik, ebenso das Ornament am Griffansatz, wie Sie selbst richtig bemerken. Ganz unantik ist ferner die Haartracht des Jünglings, offenbar missverstanden nach Gerhard Taf. CCLXXXIX, 2, welche als Vorlage gedient haben muss. Das beweist auch das missverstandene Ornament: in dem Spiegel bei Gerhard eine Epheuranke; ihren Blätter sind auf dem Czartoryski Spiegel so gezeichnet, als ob es Lotosblüten oder Lotosknospen wären, die beiden Fruchtbüschel oben sind weggelassen. Dass, wie Sie schreiben, der Spiegel kaum 2 mm dick ist und die Umrisse durchschlagen, ist ebenfalls ein sicheres Zeichen einer Fälschung. Das Durchschlagen konnte nur dadurch entstehen, dass die Umrisse nicht graviert, sondern gestanzt sind. Das ist völlig unnerhört! Ein antiker Spiegel dieses Stils müsste gegossen und daher ziemlich dick sein. Der Cz. Spiegel ist wie aus Blech ausgeschnitten und mit der Zeichnung gestanzt. Dabei ist auch der schmale Rand der Gerhard'schen Tafel missverstanden; es ist bei Gerhard der leicht aufge-

bogene Rand der echten Spiegel gemeint (vgl. die Schattierung der linken Hälfte). Vermutlich werden mehrere Exemplare dieser Fälschung zum Vorschein kommen. Bisher sind mir auf diese Weise hergestellte Fälschungen nicht bekannt geworden«.

Quam saepe eiusmodi artis monumenta adhuc adulterari soleant, speculum est documento, quod Fescennii aut Faleriis inventum esse dicitur, nunc autem Pennsylvaniae, in Universitatis thesauro asservatur. Quamquam vir doctus C. Rolfe'us, qui hoc speculum publici iuris fecit (*American Journal of archaeology* vol. XIII 1909, p. 13 sq. fig. 6—7), id genuinum esse putat, atque omnibus viribus eo incumbit, ut interpretari possit, ex ipsis eius argumentis apparet speculi dumtaxat discum cum scaena ei incisa esse adulterinum et fortasse in eadem officina, e qua Cracoviense speculum originem traxerit, esse confectum; limbus enim, quo imago est cincta, simillimum prae se fert ornamentum.

7 (tab. VI—IX).

Maioris momenti est cista (tab. VI.), quae ubi sit reperta aut quo anno empta, ex inventario non eruitur. Neque eius imaginem neque mentionem aliquam apud viros doctos invenisse contigit. In dubium tamen vocari non potest, quin iam a. 1878 inter Musei Czartoryskiani monumenta fuerit.

Ex lamina aënea ducta, solenni forma cylindrata ac leniter convergente est conspicua. Ficoronensi autem cista aliquanto est minor¹⁾. Extrinsecus incisae sunt plu-

1) Tota cista alta est . . .	0'42 m.
Altitudo statunculorum supra operculum	0'105 m
» alvi	0'29 m
» pedum cum ectypis	0'078 m
» » sine ectypis	0'035 m

res personarum imagines, quae a superiore et ab inferiore parte ornato limbo comprehenduntur. In alvo et quidem in hac altitudinis parte, quam personarum indicant brachia, octo inveniuntur anuli, alii integri, alii temporum iniuria male habiti, qui tamen totius scaenae imminuunt venustatem, cum personarum operiant partes. Hanc ob rem in tabula adiecta VIII—IX, extremis tantum lineis sunt descripti. Operculum (tab. VII), quod satis quidem cameratum super alvi labrum aliquantum dependet, quatuor ficticiarum bestiarum exhibet imagines, ab exteriori parte limbo ex foliis effecto cinctas. Basis ansae, quae e duobus corrotundatis constat statunculis, nec non trium



Fig. 6.

pedum, quibus cista insistit, lamellae affixae sunt hoc modo, ut figurarum ratio prorsus neglegatur¹⁾.

Nunc igitur ad singulas cistae partes tractandas accedo. Pedes (fig. 6), ut solent, fusi in solemnem illam unguis leonis repraesentantem exeunt formam, ac crassis soleis insistent. Lamellae autem, quibus pedes a superiore parte firmantur, caelatas exhibent sphinges, quae prisco capillorum habitu insignes in posterioribus pedibus consederunt atque satis affabre factas, sed non secundum naturae leges corpori adnexas pandunt alas. Unaquaeque sphinx collocata est in inverso, ut ita dicam, ionicae columnae capitulo, quo efficitur, ut crassus pes

Altitudo alvo incisarum personarum	0'18 m
» limbi superioris	0'02 m
» » inferioris	0'03 m
Cistae dimetiens efficit	0'24 m

¹⁾ De cistis optime disseruit A. Mau (Pauly-Wissowa: Realencyklopädie s. v. cista); de cista Ficoronensi: Fr. Behn, Die Ficoron. Cista, Lips. 1907.

sine oculi offensione in subtilem exeat lamellam. Similis, sed non inversi ionici capituli partes eodem loco etiam in geometrici, qui vocatur, stili tripodibus ¹⁾ atque in alia prisci aevi supellectile occurrunt ²⁾. Conspiciuntur etiam in pedibus nonnullarum, quae Praenesti repertae sunt, cistarum ³⁾. Item sphinges in pedibus aliarum cistarum apparent, velut in cista »Borgia« dicta ⁴⁾. Symplegma, quod in operculo extat (fig. 7), notum — ut graeco utar verbo — prae se fert schema. Repraesentati sunt scilicet satyrus iuvenis, cuius aures taeniis e capite defluentibus obteguntur, et nympha, qui corporis onere in interioribus pedibus posito altera brachia implexa, altera autem ad coxas applicata tenent. Pedibus autem inducti sunt calcei, quorum unus tantum in dextero nymphae pede accuratius est expressus. Idem symplegma in cista Praenestina videmus, quae Petropoli asservatur ⁵⁾. Simile, nisi quod manus sunt sublatae, in cista extat, quae olim Castellani erat ⁶⁾, item in cista Berolinensi ⁷⁾ atque ea, quae Pe-



Fig. 7.

¹⁾ Cesnola, Cypern tab. 70; Olympia, vol. IV (Bronzen), text. p. 130 et 131; Mus. ital. Atlas tav. XII, n. 18.

²⁾ Olympia, vol. IV, tab. 8, n. 79, p. 25.

³⁾ e. g. Petropoli (Mon. d. Ist. VIII, tav. 58b) et Berolini (Vorlegebl. Ser. E, tab. IX, X; Mon. d. Ist. X, tav. 29).

⁴⁾ cf. Schöne, Ann. d. Ist. 1866, p. 161, n. 5; haec habet »tre piedi lavorati in forma di mezze slingi«.

⁵⁾ Cista delineata est in Mon. d. Inst. VIII, tab. 58c.

⁶⁾ Descripta est in Bull. d. Inst. 1867, p. 133.

⁷⁾ Delineatam habes in Mon. d. Inst. X, tab. 29 = Vorlegeblätter Series I, tab. 9, 10.

teri vocatur ¹⁾), occurrit, hoc tamen discrimine intercedente, ut in cista Berolinensi et Peteriana figurarum inversa sit compositio et satyrus a sinistra, nympa vero a dextra parte sit collocata.

Iam primo obtutu cognoscitur fusas cistae partes in quadam Etruscorum factas esse officina, quae cistarum artificibus paratas iam ansas atque pedes suppeditaret. E capillorum habitu ac personarum ipso statu conici potest hic imitatione expressa esse exemplaria quaedam graeca, quae non post prima quinti saeculi tempora essent confecta, cum alvi et operculi imagines posterius indicent aevum.

Quod ad alvi limbos ornatos pertinet, ambo eadem arte sunt expressi. Utrumque binae hederæ frondes undatim percurrunt hoc modo, ut omnes quos efficiant sinus, binis maioribus et binis minoribus foliis atque trinis ex imo calamo pendentibus acinis expletos exhibeant. Inferior tantum limbus aliquanto est latior, quo efficitur, ut frondium sinus aliquantulum sint altiores. Eiusmodi tripartita hederæ folia in graecis quidem artis monumentis non inveni, saepius tamen in speculis etruscis vidi ²⁾).

Operculum ab exteriori parte circumdatum est limbo, cui incisa est laurea corona, e compluribus quasi membris composita, quorum singula trinis foliis atque binis bacis constant. Etiam hoc ornamentum nonnunquam in operculis aliarum cistarum ³⁾), saepissime autem in speculis etruscis in conspectum venit ⁴⁾).

¹⁾ Imaginem invenies in libro Gerhardi. Etrusk. Spiegel I, tab. 7.

²⁾ e. g. Klügmann-Körte, Etr. Spiegel V, tab. 2, 20, 24 (?), 31, 35, 46, 63, 1; 72, 74, 75, **90**, 93, 131, 136, 140, 151; text. p. 215.

³⁾ e. g. Mon. d. Inst. X, tab. 28; VIII, tab. 31.

⁴⁾ e. g. Klügmann-Körte V, tab. 3, 18, 21, 25, 27, 32, 41, 42, 48, 49, 55, 57, 66, 83, 86, 94, 102—4, 106, 108, 109, 116, 1; 117, **120**, 129, 135, 139, 1; 140, 2; 149, 150, 152, 154, 156—7, 180.

Operculi superficiei (tab. VII) incisae sunt quattuor cogitatione fictae bestiae, e quibus duae, scilicet gryps et panthera adversae astant linguis proiectis, ita ut in quibusdam familiarum insignibus videmus, uno e primoribus pedibus sublato, haec saltum iam iam datura, ille alis sublatis. Alterum par bestiarum, etiam panthera et sphinx simili modo sinistros anteriores pedes tollunt, sed cum panthera progreditur sphingem respiciens, sphinx in posterioribus pedibus consedit. Vacuum spatium lineae occupant loci inaequalitatem significantes, atque rosa quaedam ex quattuor foliis composita, quae grypis corpori est subiecta. Similes bestiae saepius in operculis Praenestinarum cistarum inveniuntur. Satis est commemorare cistam Ficoronensem ¹⁾, cistam Peteri ²⁾, Casalensem ³⁾ atque eas, quae in operibus Monum. d. Inst. VI, tab. 40; IX, tab. 24—25; Supplem. tab. 19, 20 sunt delineatae.

Tota repraesentatio, quae alvo est incisa (tab. VIII—IX), in tres dividitur scaenas, quae uno tenore se excipiunt, hoc tantum modo inter se distinctae, ut extremae singularem scaenarum personae aversae astent. In ipsa totius repraesentationis media parte (tab. VI) expressus est Hercules, clava atque leonis pelle, quae ex sinistro eius brachio dependet, insignitus. A sinistra effictus est iuvenis, qui dextram manum familiari modo coxae applicuit, sinistro autem brachio, cui circumiectum est pallium, columna innititur. Quo ipso habitu cognoscitur Iolaus, omnium Herculis itinerum ac laborum assiduus socius. Herculis capiti hederaceam coronam impositurus conspicitur alter iuvenis, columna innisus, qui Hermaphroditi prae se fert notas.

Scaena a dextra parte depicta ⁴⁾ e tribus nudis constat

1) Delin. Wiener Vorlegeblätter 1890, tab. XII, 16.

2) Delin. Gerhard, Etrusk. Spiegel, tab. VII.

3) Ibid. tab. VIII, 3.

4) Casu accidit, ut haec scaena in nostra tabula a sinistra delineata sit.

feminis, quae aequalem et hermam circumdant. Quarum ea, quae ab Hermaphrodito est aversa, sine dubio primas agit partes; dextra manu largum sustinet crinem, sinistra autem, quae armilla est ornata, pectus ungit. Duae, quae restant, eius sunt ancillae aut comites, nam ea, quae dextro cubito modio deae in herma repraesentatae innititur, altera manu speculum, altera umbrellam gerit. Altera autem femina aquali innisa sinistram manum ad dominam porrigit, quemadmodum in colloquiis fieri consuevit. Ambae brachia armillis ornata exhibent atque in auribus et accurate comptis capillis sunt conspicuae. Inde colligitur eas non nisi dominae corpus suum curanti atque ornanti assistere.

A sinistra parte quattuor effinguntur viri nudi, qui variis tantum modis iniecta habent pallia. Quorum gravissima est persona, qui in rupe assedit, sceptrum manu tenens, provecta ut videtur aetate, nam et macerum ostendit vultum et inde a naribus eius satis perspicuae prodeunt rugae. Caput, quod fortasse corona est redimitum, atque oculos tenet demissos, sinistra manus immota dependet, pedibus autem induiti sunt calcei. Cum eo colloquitur iuvenis, tamquam nuntians aliquid, dextramque manum ori admovet, sinistra coxae imposita. A dextra alter constitit iuvenis imberbis, venuste iniecto pallio insignis, baculo quidem suffultus, sed sinistram pedem iam in adversam nempe mediam totius imaginis partem dirigens. Ille autem, qui ad dextram extremus est effictus, item baculum manu tenens solus est, qui se movens sit repraesentatus. Ut optimo iure conici potest, in mediam totius scaenae progreditur partem, caput tamen avertit, oculosque inumbrat manu dextra fronti admota. Res tota, ut videtur, sub divo agitur, non solum enim desunt aedificia, sed etiam lineae loci naturam designantes atque rosae, quae ex quattuor foliis compositae omne vacuum explent

spatium, de loco dubitare vetant. At non multum distat domus quaedam, quod conici potest cum e duabus columnis, inter quas tamquam in porta apparet Hercules, tum ex aquali et herma, quam maxima cum probabilitate in domus cuiusdam area collocatam esse fingemus.

Haec est igitur rerum condicio: Herculem, qui in areae limine cum Iolao constitit atque ab Hermaphrodito corona ornatur, excipit atque salutatur unus ex comitibus regis, quem de herois adventu certiore facit adulescens. A dextra autem parte puella quaedam corpus suum curat comitibus adiuvantibus.

Dubium esse non potest, quodnam Herculis vitae momentum hic sit expressum, nam Hercules sinistra manu bovinum cornu tenet. Hoc est certe cornu, quod Hercules devicto Acheloo decussit, quodque postea Hesperidibus vel Amaltheae donatum nomen cornu copiae accepit. Ad hanc Herculis victoriam pertinet etiam corona ab Hermaphrodito herois oblata. Fabulae docent Herculem Acheloo superato filiam Calydonii regis, Deianiram uxorem duxisse. Haec erat sola femina, quam sibi legitimo iunxisset matrimonio, ab antiquis exemplar fidelitatis praedicata, quae mulier duos marito peperit filios Heraclidas, Doricae gentis auctores nuncupatos. Haud mirum igitur Herculem hic uxorem omni vi remota sibi petiturum conciliaturumque post victoriam reportatam primum futuri soceri domum adire; nam virum grandiosem natu, qui in rupe sedet, sceptro conspicuum non nisi Oeneum esse putaverim. Personae, quae eum circumdant, sine dubio eius comites sunt, atque vanum est eorum nomina indagare. Ut patrem decet, Oeneus severum atque in cogitationibus defixum ostendit vultum: Herculis enim preces aspernari non audeat, nihilominus tamen iram Acheloi timet, qui per eius agros fluit atque omnia, quando placuerit, inundando pessumdare potest. Cui interpretationi hoc primo aspectu

obstare videtur, quod cum Oeneo uxorem eius ac Deianirae matrem, Althaeam non videmus. Non est tamen obli-
viscendum secundum fabulae descriptionem (apud Apol-
lod. 2, 7, 5; Diod. Sic. 4, 34 sq.; Hygin. fab. 31, 33) Herculem
Cerbero demum ex Orco extracto pugnam cum Acheloo
commisisse. Illic quidem apud inferos Herculi obviam ve-
nit Meleager, qui secundum Pindarum (fragm. 233; cf.
Schol. ad Jl. XXI, 194) Herculem ad matrimonium cum
Deianira sorore sua ineundum impulsisse dicitur. Si igitur
iam tunc Meleager apud inferos erat, etiam mater eius
Althaea, quae post filium mortuum manus sibi intulit,
pugnae cum Acheloo pugnatae tempore inter vivos esse
non poterat. At in amphora, quae vocatur Melica ¹⁾, Althaea
Herculi Deianiram abducenti adest, in aliquot autem va-
sis Althaea et Oeneus Herculem cum Nesso pugnantem
observant. Quod argumentum tamen apud vasorum tan-
tum pictores priscae aetatis proprie occurrit, Cracoviensis
autem cistae artifex vulgatam, ut videtur, mythorum secu-
tus est memoriam, quae Althaeam nuptiis filiae interesse
non sinit.

Si haec vera sunt, inter viros Oeneum circumdantes
neque Meleager neque eius avunculi sunt quaerendi. De-
ianira tamen sine dubio est ea, quae concilibus suffragan-
tibus corpus suum ungit.

Dicat quispiam hic solemnem vestiendi atque ornandi
effigiem esse expressam neque ullam arcessitam interpreta-
tionem esse quaerendam. Et re vera in cistis, quae ad mun-
dum muliebrem (velut pectines, fibulas, specula) conden-
dum erant factae, eius modi vestiendi scaenae aequae ac pa-
lestrae effigies saepe efficiuntur ²⁾. Sed neminem fugit non

¹⁾ Delineata est in *Ephemer. archaiol.* 1894, p. 225–238, tab. 12–14,
atque a Pottiero interpretatione instructa in *Rev. des études grecques* VIII
(1895), p. 389.

²⁾ Videas e. g. cistas a Riccardo Schöne in *Bull. d. Inst.* 1866, p. 80,
n. 7; *Annali* 1866, p. 184, n. 64; 1868 n. 21, 27–8, 30 descriptas.

deesse cistas, in quibus similes scaenae quodam quamquam levi vinculo sint coniunctae cum principali imagine. Sic in cista Petropolitana (delineata in *Mon. d. Inst.* VIII 56—58) heros cum comitibus, bello confecto redit atque a rege et regina excipitur et salutatur, ab altera autem parte feminae ei res ad lavandum aptas praeparant. Simili modo in alia cista Petropolitana (descripta in *Ann. d. Ist.* XXXVIII (1866) p. 182, n. 63) hic Hercules cum apro Erymanthio pugnans est expressus, illic in gynaecio aliquot feminas et iuvenes circum aequalem vides Victoriam, quae eos de herois felici pugna certiores facit, auscultantes. Multo accuratius ille nexus apparet in cista, quae in *Bull. d. Ist.* 1866 p. 21, n. 2 et ibidem p. 140, n. 10 est descripta. Hic scilicet Chiron, Peleo iuveni amatam Thetim monstrat, quae ab altera parte ancillarum ope lavationi se praeparat; non multo post ab heroe rapta erit. Simili igitur nexu inter se scaenae Cracoviensis cistae cohaerent. Deianira corpus suum ungit, nuptias cum Hercule celebratura atque adeo hoc libentiori facit animo, ut quae herois amore sit correpta. Quem amorem persona indicat Hermaphroditi habitum praebens, in qua effingenda cistae nostrae artifex sine dubio exemplar suum graecum male intellexit. Illic enim, ut cum maxima probabilitate conici potest, ministri vice inter Herculem et Deianiram Amor fungebatur, qui puellae nomine coronam herois capiti imponebat. Ille autem, qui totam repraesentationem imitatione repetivit, primum alas omisit, quas spatio deficiente non habuit ubi apponeret—quamquam non desunt Amores alis carentes, praecipue in speculis etruscis ¹⁾— deinde muliebri capillorum ornatu, ut fingi solet Amor, deceptus Amorem pro Hermaphrodito accepit ideoque pectus mu-

¹⁾ Vid. Klügmann-Körte, *Etr. Spiegel* V, tab. 12, 14, 20, 74, 149; Gerhard CCCXCIX ad p. 195. Cf. O. Jahn, *Archäolog. Beiträge*, p. 247 sq.

liebre ei attribuit. Similis error in alio quodam speculo (delineato apud Klugmannum-Körteum, tab. 99) extat, ubi opifex Heram in androgynam quae vocatur mutavit.

Atque eo, quod Amor est effictus, probatur etiam in hac re cistae Cracoviensis auctorem vulgatam fabularum memoriam secutum esse. Antiquissimae fabulae hoc tantum narrant, Herculem Acheloo victo Deianiram uxorem duxisse, sed iam Sophocles in Trachiniarum prologo (v. 9—24) et postea in secundo stasimo (v. 523 sq.) utrumque factum arctissimo copulavit vinculo ita, ut hoc ex illo pendeat. Deianiram Acheloi fluminis deus prius petebat variasque cum tauri, tum draconis, tum monstri alicuius subibat formas et Hercules demum Acheloo victo Deianiram isto liberavit amore. Quam ob causam Deianira Herculem non solum amore suo dignum putavit, sed etiam grato eum prosequebatur animo ideoque in vasis pictis¹⁾ Deianira et Oeneus Herculi cum Acheloo pugnanti adsunt. Iam in antiqui Lacedaemoniorum stili opere — a Donta aut, ut C. Robert (Arch. Märchen p. 111 sq.) probare studet, a Medone confecto — Deianiram ab Herculis parte stantem erat videre. Sed cum ambigi possit, quonam affectu in his monumentis Deianira Herculem pugnantes observet, apud Sophoclem iam manifeste expositum est Deianiram de pugnae eventu timere, postquam vero Herculem victorem vidisset, gaudio efferi, scilicet iam tum herois amore devinctam esse, prius quam ille patris domum adisset.

Iam supra Cracoviensi cistae incisam repraesentationem e quodam graeco exemplari imitatione expressam esse monui simulque errorem indicavi, quem imitator incurrisset, cum Amorem in Hermaphroditum mutaret. Ad simile erratum referendus est praegrandis phallus, hermae

¹⁾ E. g. in vase Tarentino Jattiani thesauri, quod n. 1097 signatum atque in libro: Vasi Caputi, tab. 7. n. 377 est delineatum.

muliebri additus. In aures atque armillae graecae sub nostri artificis caelo graves etruscas formas assumpserunt. Oeneus deinde procul dubio in graeco exemplari barbatus erat, Praenestinus autem artifex senis vultu quidem aetate proveciorem virum designavit, sed more etrusco barbam omisit, nam, ut videtur, ne fabulam quidem, cuius scaenam incidendo imitabatur, intellexit. Ea denique superficies alvi et operculi, ubi res actae effinguntur, lineis est indicata non, ut fieri solet, undatim, sed directe aut oblique currentibus. Illi profecto, qui eas incidit, minime in mentem venit terrae spatia non solum ex editis, sed etiam ex interioribus constare partibus atque lineas, in exemplari sine dubio varias praebentes formas, non alia ratione faciendas esse, nisi quo vacuum spatium explerent, existimavit, simili ratione atque rosas illas e quattuor foliis constantes.

Quod ad cistae aetatem, qua sit confecta, pertinet, hoc imprimis est monendum ipsam rationem, qua singulae personae inter se sint coniunctae, admodum esse rudem. Figurae enim uno tenore »paratactice«, quod viri docti dicunt, iuxta se sunt collocatae atque omnes alterum tantum latus aut totius imaginis tres quartas partes, nunquam vero imaginem rectam ostendunt, capitum verticibus quasi unam lineam designantibus, quam normam isocephalismum recentiores viri docti appellant. Omnes praeterea personae sive stantes sive sedentes unam aequalemque, ut sic dicam, frontem tenent ita, ut nunquam altera alteram operiat. Quae argumenta primum quinti saeculi dimidium videntur indicare. Etiam lineae, loci naturam exprimentes, simili modo ductae in uno tantum, quod sciam, extant cratere, qui ab Hausero ¹⁾ ad artem atticam primo quinti saeculi dimidio florentem refertur. Multa prae-

¹⁾ In opere, quod inscribitur: Furtwängler-Reichhold, Griech. Vasenmalerei, tab. 116.

terea eorum, quae in cista Cracoviensi sunt expressa, singula argumenta et figurae iam in vasis huius aetatis occurrunt; velut personae baculis innisae facile in mentem reducunt »paedotribarum« — ut graeco utar verbo — imagines, qui in palestra scaenis sunt frequentes; non raro denique invenitur iuvenis, qui ante senem constitit, aut feminae aliquot in balneo corpora curantes.

Quae tamen ita sunt comparata, ut mihi questionem omnibus numeris absolvere minime videantur. Primum enim est monendum supra dicta specimina in arte remansisse neque in quarti quoque saeculi deesse operibus ¹⁾. Deinde nonnulla, quae in Cracoviensi cista deprehenduntur, argumenta nequaquam ad quintum saeculum referri possunt, cum adeo quarti saeculi prae se ferant notas. Quibus adnumero virum progredientem manu fronti ad-

¹⁾ Quo facilius perspicui possint, exempla secundum ordinem subicio:

a) Similes paedotribarum imagines videas apud Reinachium, Répertoire des vases I, p. 29, 3; 308, 1; 391 = 277, 2; 523; II 137—141; 317, 2. Cf. etiam ea, quae in Parthenonis zophoro extant.

b) Senex cum iuvene effictus est; Mon. d. Ist. VI—VII, tav. 71; Reinach l. c. I 421, 1; II 8, 3.

c) Iuvenis solus invenitur in: Mon. d. Ist. VIII, 9; IV 21; Reinach I 500, 3; II 291, 3; 337, 13.

d) Iolaos, qui dicitur, aversus; apud Reinachium I, 279, 1; 361, 2; 416; Monum. d. Ist. IV 14; IX 22, 23.

e) Hercules apud Reinachium I, 2; Wiener Vorlegebl. Series B, tab. III 5a.

f) Victoria, quae Hermaphroditum est simillima, effingitur apud Reinachium I 378, 2; Amor ibid. 402, 4; 525; 465.

g) Feminarum symplegma videre licet in: Mon. d. Ist. VI, 55; VIII 56—7; IX 29, 1; Supplem. 15—16.

h) Femina cum speculo est representata in opere Reinachii II 363, 108; Vorlegebl. Series E, tab. 4.

i) Femina aquali innititur: Reinach II 292, 4.

k) Aqualis, iuxta quam umbrella est depicta, apparet in libro Reinachii I 465; Vorlegebl. Ser. E, tab. 5.

l) Herma muliebris phallo conspicua inter feminas est constituta in Monum. d. Ist. II, tav. 50.

(ἀποσκευασθέντα Graeci vocant), qui gestus Scopae demum aetate, si quid video, in monumentis apparet¹⁾. Deianira capillos sustinens Apellis Venerem Anadyomenen dictam, Hermaphroditus autem Praxitelis Apollinem Sauroctonum vocatum in mentem reducunt. Herculis denique habitus secundae, quae vocatur, scholae atticae est proprius. Itaque Cracoviensis cistae graecum exemplar quarto saeculo est factum et quoniam ea, quae arte plastica effinguntur, prius in operibus pictis provenire solent, primo quarti saeculi dimidio est assignandum. Quod exemplar tamen, ut opinor, non atticae, sed eius, quae in meridionali Italia floruit, artis fuit specimen. Cui sententiae fidem affert ipse cistae aspectus. Consuetudo enim antiquorum et praecipue Corinthiorum pictorum, ut in vasis omne vacuum spatium rosis, quae dicuntur, expleant, iam quinto saeculo in vasis pingendis evanescit, neque postea in attica arte reperitur, miro autem modo in Apuliae et Calabriae vasorum pictura iterum recurrit²⁾. Coronae deinde laureae et hederaceae creberrime in meridiana Italiae vasis pictis³⁾. Mellum autem sphingis collo impositum eiusque in aures Tarentinae praecipue artis sunt propria⁴⁾. Pantherae denique, quae prorsus eum referunt habitum, quo postea Chimaerae fingi solebant, leones et grypes oblongis atque productis corporibus insignes, saepissime in meridionalis Italiae vasis conspiciuntur⁵⁾.

¹⁾ Similem figuram in cista quae dicitur Broenstedtii videmus, Gerhard, Etrusk. Spiegel I, tab. 3; Reinach, Rép. d. vases I 330, 3; 480.

²⁾ Cuius rei permulta extant exempla, ac satis erit haec afferre: Mon. d. Ist. V, 22—3 (Pelops et Lycurgus); ibid. II 12 (Oedipus v. Polymestor); VI, 42 (Demeter, Aphrodite, Cora); VI—VII, 71 = Wiener Vorlegebl. Ser. A, tab. 10; Monum. d. Ist. IX, tab. 51—52; Vorlegebl. Ser. E, tab. 1; ibid. tab. 4, 5.

³⁾ Vid. Reinach, Rép. d. vases II 215.

⁴⁾ Cf. Pollak, Österr. Jahreshfte, VII (1904), p. 207.

⁵⁾ E. g. Ausonia, vol. III, p. 57, fig. 1 (M. Jatta).

Quae cum ita sint, colligere licet cistam Cracoviensem a quodam opifice esse factam, qui aliquod graecum quidem, non atticum quarti saeculi exemplar imitatione expresserit, fabula in eo repraesentata non satis intellecta. Quod artis opus in ea Italiae parte, quae ad meridiem spectat, et fortasse Heraclae est confectum, ubi fabulae Herculis facta praedicantes, ut par est, maxime divulgatae erant. Attamen cistae Cracoviensis artificium plurimi est aestimandum. Imagines eius certa admodum ac facili manu sunt effectae et quamquam delineatio varietate abundat, minutiis minime inservit indulgetque. Certe non desunt in singulis partibus errata quaedam, sed extremae lineae, quibus personae sunt descriptae, earum motus atque musculorum contractiones et formae optime sunt percepta atque vere proposita.

Quamquam omnia haec tam consequentia tamque luculenta videbantur, una res erat praecipue, quae suspensiones meas iterum atque iterum moveret. Ratio, quae compositae et effictae sunt personae, nimis vehementer in mentem revocabat imagines quae a Philostrato iunior¹⁾ Πρακλής ἢ Ἀχελῷος (ed. Schenkl-Reisch) inscribuntur. Praeter Acheloum apparent scilicet: τό τε συνεργηκός ὡς ἐς θέαν πλήθος καὶ ἡ ἐν μέσσοις κόρη, νόμφη τις αἰμαί, τοῦτι γὰρ χρῆ νοεῖν τῷ ἀμφ' αὐτὴν κόσμῳ, καὶ γέρον οὗτος ἐν αἰθέρῳ τῷ εἶδει νεανίας τε ἐκδύμενος λεοντῆς καὶ ῥόπαλον ἐν ταῖν χερσὶν ἔχων. — Itaque vides populum spectandi causa confluentem, deinde in media parte Deianiram, vestibus conspicuam, Oeneum timore perculsum, Herculem leonis pelle et clava instructum. Quod ad peculiare notas pertinet, Oeneum legimus propter Acheloi petitionem sane abiecto effictum fuisse animo: τοῦτον γὰρ εἶναι γίνωσκε τὸν ἐν τῇ γραφῇ, κατιφῆ δὲ ἐπὶ τῇ παιδί Διμανείρα.

¹⁾ Cf. K. Münscher, Die Philostrate, Philol. Supplem. vol. X p. 556 sq.

Hercules autem recenti gaudens victoria Deianiram aspectabat, quam iam iam uxorem erat ducturus: Ἡρακλῆς γανύμενος τῷ ἔργῳ ἐς τὴν Δειάνειραν ὄρᾳ καὶ τὸ μὲν βόταλον αὐτῇ ἐς γῆν ἔρριπται, προτείνει δὲ αὐτῇ τὸ τοῦ Ἀχελώου κέρασ ὄϊον ἔδνον τοῦ γάμου.

Licet variae sint de Philostrati iunioris fide opiniones, hoc saltem certum et exploratum esse videtur, eum ad »Imagines« suas componendas argumenta e Romanorum artis operibus, quae imperatorum aevo essent confecta, non e IV a. Ch. n. saeculi monumentis petivisse. In bac cista autem mirum quendamprehendimus nexum, qui inter opera sex saeculis distantia intercedat. In mentem igitur veniebat mihi cistam aut saltem scaenam in ea repraesentatam a nescio quo esse confectam, qui iam Philostratum novisset, quin immo id ipsum suspicabar Philostrati descriptione falsarium esse impulsum, ut eius modi opus conficeret.

Quibus suspicionibus grave pondus accessit ex eis, quae mecum humanissime communicaverunt Aem. Reischius et G. Koerteus, delineationibus et lucis ope expressis imaginibus a me acceptis. Quorum virorum doctorum sententia eadem ipsa, quae supra eo explicavimus, quod etruscus opifex graecum exemplar parum intellexisset — opus adulterinum esse prorsus comprobant. Quae sunt: Amor in Hermaphroditi modum repraesentatus, Oeneus barba carens, phallus hermae muliebri adiectus, lineae et rosae personis interiectae, ἀποσκωπέων, qui dicitur, ingrediens effictus et simul in baculo innisus. Quae tamen — nemo non videt — eandem ipsam ob causam, quod duobus modis explicari possunt, quaestionem nequaquam absolvunt. Sic quoque singulari quodam momento minime sunt premenda ea, quae de re ipsa protulit Koerteus, cum aqualem (λουτήριον) nimis humilem esse putavit atque in eius inferiore ora, linea expressa undata, quae in aliis tam crebro effic-

tis aqualibus non exstaret, admodum offendit. Mea quidem sententia undata ora exteriorem aqualis partem incisuris fuisse ornatam indicat, nisi quod opifex lineas ipsas, quae incisuras illas designarent, omisit.

Multo maioris momenti ea errata sunt putanda, quae in ipsa effingendi ratione versantur. Atque hic minime quidem id presserim, quod non tam accurate delineati sint Oenei demissi oculi, neque omnino eius modi respiciendas esse putaverim quisquillas, veluti sunt ea, quae sequuntur. Pupillas in duarum tantum personarum oculis esse designatas, inferiorem palpebram omnino altius esse demissam, dexterum Herculis oculum in exteriori angulo superflua quadam esse ornatum lineola, ungues modo expressos esse, modo omissos, alia. Nunquam enim obliviscenda sunt ea, quae supra monuimus, plurimos Etruscorum artifices minime fuisse effingendi peritos atque exemplaria sua admodum strictim et negligenter in medium protulisse. Attamen inaudita et ex aliis artis operibus nequaquam nota sunt eiusmodi menda, quae accurato iudicio adhibito, in cistae nostrae ornamentis deprehendimus. Saepius accidit, ut superiora hederæ folia atque ipsi acini minime e suis dependeant calamis, ut natura solent, sed mira quadam ratione in inferiorum foliorum acuminibus orientur. Antiquorum deinde consuetudini herma repugnat cum brachiorum truncis inferius adiectis — herma, cuius forma geminata linea descripta est et tamquam limbo quodam circumdata apparet. Denique etiam rosae, e quatuor foliis compositae, item geminatis lineis sunt circumscriptae et umbrellae, quae a vera antiquorum forma prorsus abhorret, pars superior quasi recto angulo fracta apparet. Quae iam minime explicari possunt imperitia effingendi ea, quae abscedere vel prominere debeant et mihi quidem satis superque sufficiunt, ut eas saltem cistae partes, in quibus eae ineptiae inveniuntur, adulterinas putem.

Koerteus etiam ulterius progreditur atque genuinas profert cistas, quas in opere suo perficiendo falsarius iste compilaverit.

1) In Pasinatii cista (vid. Monum. d. Inst. IX, tab. 22, 23) persona extat, titulo »Istor« designata, cui simillimus est Cracoviensis cistae iuvenis cum Oeneo colloquens. »Sorresio« autem respondere videtur — inversa quidem ratione — Cracoviensis cistae Iolaus. Etiam columna illa, ad oculorum aciem in breviorum formam redacta, in qua Iolaus noster innititur, atque adeo herma modio ornata, nisi quod geminatis caret lineamentis, in illa Pasinatii cista inveniuntur. Corona denique bederacea, quam Cracoviensis cistae Amor tenet, simillima est coronae, quae in »Silani« pectore est efficta;

2) Alia Pasinatii cista (vid. Mon. d. I. IX, tab. 24, 25) exempla praebuit, ut Koerteus putat eorum, quae Cracoviensis cistae operculo sunt incisa;

3) Martinettiana, quae vocatur, cista (vid. Mon. d. I. Supplem., tab. 19, 20) et quidem capitulis, quae ad eius ornamenta pertinent, falsarius usus est, ut mirum illum efficeret capillorum habitum, quem una e Deianirae comitibus ostendit, eam dico, quae speculum et umbrellam manibus tenet;

4) Aliud quoddam speculum olim Pasinatianum (vid. Gerbard-Körte, Etr. Spiegel V 120 = Mon. d. I. IX, tav. 24, n. 5) eadem atque Cracoviensis cistae speculum prae se fert ornamenta.

Quae omnia exemplaria eodem fere tempore apud antiquorum operum coemptorem Pasinatium prodierunt, qua ex re Koerteus conscit Cracoviensem cistam a falsario quodam esse confectam, qui circa a. 1870 Romae grassaretur. Atque ea, quae in Cracoviensi cista accurate sunt efficta, Koertei quidem sententia e praedictis sumpta sunt exemplaribus; quae autem in eis non extant, in Craco-

viensi cista manifeste adulterata apparent. Quae cum ita sint, scaenae illi, quae in cistae alveo est expressa, nullam inculcandam esse putat fabulam, aut aliquod e vita sump- tum argumentum; nihil aliud esse, nisi figuras aliquot nullo cohaerentes nexu, id quod saepe in Etruscorum ope- ribus inveniatur.

Atque hanc Koertei opinionem, quam postremo loco laudavi, minime amplectendam esse puto. Equidem supra satis luculenter probasse mihi videor scaenam illam, qua- liscunque esset — genuina an adulterina — ad Herculis et Deianirae fabulam pertinere. Praeterea necesse est mo- neam, ipsis exemplaribus, e quibus penderet falsarius, in- ventis nihil esse profectum, nam modo ut argumentatio- nis invertas acumen, nullo negotio id, quod contrarium est, probari potest: cum simillima in aliis vasis invenian- tur, vas Cracoviense genuinum est putandum.

Itaque tota haec quaestio necesse esset adhuc pende- ret, nisi maximi momenti quaedam monuisset Matthiesius, qui praecipuum quoddam opus de cistis Praenestinis mo- litur. Qui vir doctus, G. Koertei discipulus, haec scripsit: »Ich möchte Sie auf eine technische Eigentümlichkeit auf- merksam machen, die an der Gravierung des Deckels her- vortritt. Der Strich ist unsicher, an stark gekrümmten Linien setzt er häufig ab (Klauen der Tiere). Es hat den Anschein, dass an diesen Stellen nicht die Graviernadel mit dreieckigem Durchschnitt, deren sich die Graveure in an- tiker wie in moderner Zeit bedienen, benutzt sei, sondern eine spitze kratzende Nadel«. — Atque hoc est, quod gra- vissimum faciat momentum; quo innisi operculum adul- terinum putare iam non dubitabimus. Accedit quod oper- culum e nimis flexibili et tenui lamina est confectum, cum alvei paries crassus sit et durus.

Itaque vides eis argumentis, quae Koerteus, Reischius, egomet protulimus — si singula examines — quaestionem

nequaquam diiudicari posse, sed qui ea universa in censum vocaverit, eis praecipue adiectis indiciis, quae in ipsa scaena atque in conficiendi ratione vidimus, facere non poterit, quin et alveum cistae Cracoviensis admodum esse suspectum facile concedat.

Hoc tantum nunc restat, quod consideremus, nonne hic alia genuina, alia autem adulterina sint putanda ita, ut exempli causa lamina cistae antiqua sit, imagines autem postea adiectae, aut ut operculum recentiore sit confectum aetate, alveus tamen omnino genuinus sit et partes tantum quasdam adulteratas exhibeat. Ad hanc quaestionem diiudicandam accuratissime examinanda esse videtur aerugo, quae in incisuris ipsis sub cretae latet corio. Quod experimentum tamen nunc quidem institui non potest, cum Mariano Sokołowski, bene merito Musei praefecto mortuo ipsa artium opera examinari nequeant ideoque quaestionem nondum ad ultimum finem esse adductam censeo, praesertim cum nullus ex eis, quos supra laudavi, viris doctis ipsam cistam vidisset.

Denique non a re alienum esse arbitror de duobus speculis ex aere confectis mentionem facere, quae quidem in Museo archaeologico Universitatis Jagellonicae asservantur, sed ab eodem principe Czartoryski circa a. 1870 dono data sunt.

8 (fig. 8).

Alterutrum, quod nr. 1106 est signatum, longum est cum manubrio 0'235, disci dimetiens 0'12 m. In quo exaratum est symplegma consimile ei, quod supra sub nr. 5 explanaveramus. Laeva ex parte Castorem repraesentatum vides, a dextra vero Helenam, ambo eodem fere statu habituque. Inter utramque figuram plures lineae in transversum ductae diversis distantes inter se intervallis con-

spiciuntur. Gerhardus, qui aliquot specula nostris simillima publici fecit iuris (Etrusk. Spiegel vol. I, tab. XLVI, n. 3, 6), bis lineis stipites symbolicos (*ὄβρανα*) significari putat, sub quorum imagine antiquissimis temporibus Dioscuridae celebrarentur. Quae interpretatio non verisimilis mihi videtur et mea quidem opinione hodie diiudicari non potest, quid supra commemoratis lineis artifices, qui primi illud symplegma composuerant, exprimere voluerint. Potes etiam conicere lineas istas antiquitus nullum praebuisse sensum, aut ab artificibus usurpatas esse, ut maiore vi exprimeretur utramque figuram artissime esse coniungendam. Ceterum parum interest scire, quid figurae in speculo exaratae repraesentent, nam meo quidem iudicio, a quo etiam Koerteus non dissidet, speculum ipsum re vera antiquum et ut plurima similia tertio saeculo a. Ch. est factum, figurae tamen in eo effictae recentioribus temporibus sunt incisae, ad quas conficiendas falsator exemplaria, quae apud Gerhardum l. c. nr. 3 et 6 expressa inveniuntur, sibi ad imitandum proposuerit. Etsi delineatio omnium speculorum, quibus Castores in medium proferuntur, mirum in modum iners rudisque est, nostra tamen in delineatione permulta perspicias, quibus intellegi possit eum, qui eas figuras addiderit, non intellexisse exemplaria, quae imitatione exprimere statuisset. Sunt autem haec: ratio, qua Castoris brachium dextrum cum corpore cohaereat, modus deinde delineationis dexteri genus Helenae, patellarum utriusque figurae, oculorum, insuper obliquorum et capitis tegumenti. Animadverti etiam potest incisas lineas nimium tenues exilesque esse ac minime rubigine expletas. Immo vero veterem rubiginem, quae in inferiore praecipue speculi parte oculis se offerat, perfectam esse facile intellegas. Hoc tamen minus aegre ferendum talem sortem artis operi contigisse, quod fere nullius sit momenti.

9.

Alterum speculum multo maiorem habet ambitum. Una cum manubrio, cuius pars extrema deest, longum est 0'215; dimetiens disci, qui margine eminente planus optimeque rotundus est, longa est 0'16 m. Totum speculum utraque in parte crassa rubigine, quae pulchrum praebet colorem, oblitum est; sub qua, quantum ego quidem eruere possum, nulla latet imago. Locus, quo manubrium cum disco conectitur, tantopere rubigine est confectus, ut dici nequeat, speculum nostrum graecumne opus sit an etruscum.



fig. 8.

Tab. 1.



Tab. II.



Tab. III.



Tab. IIIa.



Tab. IV.



Tab. V.



Tab. VI.



Tab. VII.



